

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

M. Tvllivs Cicero Mannvcciorvm Commentariis Illvstratvs antiquaeq. lectioni restitutus

Continens De Philosophia Volumen Primum

Cicero, Marcus Tullius

Venetiis, 1583

In M Tvllii Ciceronis De Finibvs Bonorvm Et Malorvm Librvm IV.
Commentarius Aldi Mannuccij

[urn:nbn:de:gbv:45:1-770549](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:45:1-770549)



IN
M. TVLLII. CICERONIS
DE FINIBVS
BONORVM. ET. MALORVM

LIBRVM. IV.

Commentarius Aldi Mannuccij.



CICERO



UAE cum dixisset, finem ille. ego autem, nae tu, inquam, Cato, ista exposuisti tam multa memoriter, tam obscura dilucide. itaque aut omitamus contra omnino uelle aliquid, aut spatium sumamus ad cogitandum. tam enim diligenter, etsi mirus uere, (na

non id quidem audeo dicere) sed tamen accurate non modo fundatam, uerum etiam exstructam disciplinam non est facile perdiscere. Tum ille, ain tandem? inquit: cum ego te hac noua lege uideam eodem die accufatori respondere, & tribus horis perorare, in hac me causa tempus dilaturum putas? quae tamen a te agitur non melior, quam illae sunt, quas interdum obtines. quare istam quoque aggredere, tractatam prae-

sentim ab alijs, & a te ipso saepe, ut tibi deesse non possit oratio. Tum ego, non mehercule soleo temere contra Stoicos: non quo illis admodum assentiar: sed pudore impedior: ita multa dicunt, quae uix intelligam. Obscura, inquit, quaedam esse confiteor: nec tamen ab illis ita dicuntur de industria: sed inest in rebus ipsis obscuritas. Cur igitur, easdem res, inquam, Peripateticis dicentibus, uerbum nullum est, quod non intelligatur? Easdem ne res, inquit? an parum differui, non uerbis Stoicos a Peripateticis, sed uniuersa re, & tota sententia dissentire? Atqui, inquam, Cato, si istud obtinueris, traducas me ad te totum licebit, Putabam equidem satis, inquit, me dixisse. quare ad ea primum, si uidetur: sin aliud quid uoles, postea. Immo isto quidem, inquam, loco, nisi iniquum postulo, responde arbitratu meo.

EXPLANATIO



ERDISCERE. 3 sumptum a causis iudicialibus, quas responsuri oratores perdiscant necesse est: quod ea confirmant, quae sequuntur. CUM ego te hac noua lege Bene, Noua lege: nam tempus orandi praescriptum erat oratoribus. id erat duarum horarum, ad clepsydram.

CICERO

UT placet, inquit, etsi illud erat aptius, aequum cuique concedere. Existimo, inquam, Cato, uete- res illos Platonis auditores, Speusippum, Aristotelem, Xenocratem, deinde eorum Polemonem, Theophrastum, satis

Satis & copiose, & eleganter habuisse constitutam disciplinam; non esset causa Zenoni, cum Polemonem audisset, cur & ab eo ipso, & a superioribus dissideret. quorum fuit haec institutio, in qua animaduertas, uelim, quid putes mutandum; nec exspectes, dum ad omnia dicam, quae a te dicta sunt. uniuersa enim illorum ratione cum tota uestra confingendum puto. Qui cum uiderent nos ita esse natos, ut & communiter ad eas uirtutes apti essemus, quae notae, illustresq. sunt: iustitia, dico, temperantiam, ceterasq. generis eiusdem; quae omnes similes artium rebusque, materia tantum ad meliorem partem, & tractatione differunt; easq. ipsas uirtutes uiderent nos magnificentius appetere, & ardentius, habere etiam insitam quandam, uel potius innatam cupiditatem scientiae, natosq. esse ad congregationem hominum, & ad societatem, communitatemq. generis humani. eaq. in maximis ingenijs maxime elucere, totam philosophiam tres in partes diuiserunt: quae partitionem a Zenone retentam esse uidemus. quarum cum una sit, qua mores conformari putantur: differo eam partem, quae quasi stips est huius quaestionis: (qui sit enim finis bonorum, mox) hoc loco tantum dico, a ueteribus Peripateticis, Academicisque, qui, re consentientes, uocabulis differebant, eum locum, quem

ciuilem recte appellaturi uidemur, Graece πολιτικόν, grauiter, & copiose esse tractatum. quam multa illi de rep. scripserunt? quam multa de legibus? quam multa non solum praecepta in artibus, sed etiam exempla in orationibus bene dicendi reliquerunt? primum enim ipsa illa, quae subtiliter differenda erant, politice, apteque dixerunt, cum definiens, tum partientes: ut uestri etiam: sed uos squalidius: illorum, uides, quam nitent oratio. deinde ea, quae requirebant orationem ornatam, & grauem, quam magnifice sunt dicta ab illis? quam splendide? de iustitia, de fortitudine, de amicitia, de aetate degenda, de philosophia, de capefenda rep. de temperantia, de fortitudine hominum, * de spinis uellentium, ut Stoici, nec ossa nudantium, sed eorum, qui grandia ornate uellent, enucleate minora dicere. itaque quae sunt eorum consolationes? quae cohortationes? quae etiam monita, & consilia scripta ad summos uiros? erat enim apud eos, ut est rerum ipsarum natura, sic dicti exercitatio duplex. nam, quidquid quaeritur, id habet aut generis ipsius sine personis, temporibusque, aut, ijs adiunctis, facti, aut iuris, aut nominis controuersiam. ergo in utroque exercebantur: eaq. disciplina effecit tantam illorum utroque in genere dicendi copiam.

EXPLANATIO

ET si illud erat aptius, aequum cuique concedere. § Haec mihi non cohaerere uidentur inter se. quis enim dixerit, Cum aequum conceditur, id aptum esse? potius iustum esse: si modo ad rei naturam accommodare uerba uolumus. Praeterea, satis mihi non dum constat, an ex usu Latinae linguae dici possit, Aptius erat concedere, quod cuique aequum est. Ego Ciceronem, aut Catonem a Cicerone inductum, puto hoc significare; non modo aptius id esse, ut respondeatur sibi ad ea, quae iam dixerat de Stoicorum, & Peripateticorum dissensione; uerum etiam aequum. ad quam sententiam aptare uerba cum uellem, ita legendum iudicauit: Et si illud erat aptius, aequumq. concedere. Haec Paullus pater. **D**E spinis uellentium, ut Stoici, § Legendum quidam putant: Nec more hominum uellentium spinas, ut Stoici, &c. **D**E spinis uellentium, ut Stoici, nec ossa nudantium, § Tropus est, difficilem, sterilem, & nudam orationem Stoicorum indicans.

CICERO

TOIVM genus hoc & Zeno, & ab eo qui sunt, aut non potuerunt, aut noluerunt, certe reliquerunt. quamquam scripsit artem rhetoricam Cleanthes, Chrysippus etiam, sed sic, ut, si quis obmutescere concupierit, nihil aliud legere debeat. itaque uides, quo modo loquantur. noua uerba fingunt, deserunt usitata. at quanta conantur? mundum hunc omnem opidum esse nostrum. incendit igitur nos, qui audiunt. uides, quantam rem agat: ut, Circeis qui habitet, totum hunc mundum suum municipium esse existimet. quid ille incendat? restinguet citius, si ardentem acceperit. ista ipsa, quae tu breuiter, regem, dictatorem, diuitem solum esse sapientem, a te quidem apte, ac rotunde: quippe: habes enim a rhetoribus: illorum uero ista ipsa quam exsilia de uirtutis ui, quam tantam uolunt esse, ut beatum per se efficere possit, pungunt, quasi aculeis, interrogatiunculis angustis. quibus etiam qui assentiuntur, nihil commutantur animo, & ijdem

abeunt, qui uenerant. res enim fortasse uerae, certe graues, non ita tractantur, ut debent, sed aliquantulo minutius. Sequitur differendi ratio, cognitioq. naturae. nam de summo bono mox, ut dixi, uidebimus, & ad id explicandum disputationem omnem confereamus. In ijs igitur partibus duabus nihil erat, quod Zeno commutare gestiret. res enim praecclare se habent, & quidem in utraque parte. quid enim ab antiquis ex eo genere, quod ad differendum ualet, praetermissum est? qui & definirunt plurima; & definiendi artes reliquerunt: quodq. est definitioni adiunctum, ut res in partes diuidatur, id & fit ab illis, & quemadmodum fieri oporteat, traditur. item de contrarijs: a quibus ad genera, formasq. generum denegerunt. Iam, argumenti ratione conclusi, caput esse faciunt ea, quae perspicua dicunt: deinde ordinem sequuntur: tum, quid uerum sit in singulis: extrema conclusio est. quanta autem ab illis uarietas argumentorum ratione concluden-

cludentium, eorumq. cum captiosis interrogationibus
dissimilitudo? Quid, quod pluribus locis quasi denun-
ciant, ut neque sensuum fidem sine ratione, nec rationes
sine sensibus exquiramus, atque ut eorum alterum ab
altero separemus?

EXPLANATIO

CIRCEIS § Opidum est Latij, in quodam promontorio. **ILLORVM** uero ista ipsa quam exsilia
de uirtutis ui: quam, &c. § Primum iterari non placet, ista ipsa: deinde illud, De uirtutis ui, dis-
iungendum ab antecedentibus, & cum sequentibus coniungendum existimo: ut legatur, & distingua-
tur hoc modo: Illorum uero quam exsilia. de uirtutis ui, quam tantam uolunt esse, ut beatum per se ef-
ficere possit, pungunt, quasi aculeis, interrogationibus angustis. id est, cum de uirtutis ui loquuntur,
uim tamen nullam habet eorum oratio. Nam, illud, Quam exsilia, refero ad ea uerba, ista ipsa, solum
sapientem esse regem, dictatorem, diuitem. quae cum ab illis memorantur, quam exsilia sunt. Hoc tamē
eiusmodi est, ut magnopere non confirmem. potest enim fieri, non solum ut iterauerit Cicero ista ipsa:
quod interdum solet, cum aliquid interponitur, uerum etiam, ut addiderit, De uirtutis ui, repetit eorum
uerborum sententia, Regem, dictatorem, diuitem solum esse sapientem. Haec Paullus pater.

CICERO

QUID? ea, quae dialectici nunc tradunt, & do-
cent, non ne ab illis instituta sunt, & inuenta?
de quibus etsi a Chryssippo maxime est ela-
boratum: tamen a Zenone minus multo, quam ab anti-
quis; ab hoc autem quaedam non melius, quam uete-
res; quaedam omnino relicta. Cumq. duae sint artes, qui-
bus perfecte ratio, & oratio compleatur, una inuenien-
di, altera differendi: hanc posteriorem & Stoici, & Pe-
ripatetici, priorem autem illi egregie tradiderunt, hi
omnino ne attigerunt quidem. nam, e quibus locis, quasi
thesauris, argumenta de promerentur, ueluti ne suspica-
ti quidem sunt; superiores autem artificio, & uia tra-
diderunt. quae quidem res efficit, ne necesse sit, iisdem
de rebus semper quasi dictata decantare, neque a com-
mentariolis suis discedere. nam, qui sciet, ubi quidque
positum sit, quaq. eo ueniat, is, etiam si quid obrutum
erit, poterit eruere, semperq. esse in disputando suus.
quod etsi ingenijs magnis praediti quidam dicendi co-
piam sine ratione consequuntur: ars tamen est dux cer-
tior, quam natura. aliud est enim, poetarum more uer-
ba fundere; aliud, ea, quae dicas, ratione, & arte distin-
guere. Similia dici possunt de explicatione naturae;
qua hi utuntur, & ueluti: neque uero ob duas modo
causas, quod Epicuro uidetur, ut pellatur mortis, &
religionis metus: sed etiam modestiam quandam cog-
nitiō rerum caelestium affert ijs, qui uideant, quanta sit
etiam apud deos moderatio, quantus ordo, & magnitudo
animi, deorum opera, & facta cernentibus; insti-
tiam etiam, cum cognitum habeas, quod sit summi re-
fforis, & domini numen, quod consilium, quae uolun-
tas: cuius ad naturam apta ratio, uera illa, & summa
lex a philosophis dicitur. Inest in eadem explicatio-
ne naturae insatiabilis quaedam e cognoscendis rebus
uoluptas: in qua una, confectis rebus necessarijs, uacuis
negotijs, honeste, ac liber aliter possumus uiuere. Ergo
in hac ratione tota de maximis fere rebus Stoici illos
secuti sunt, ut & deos esse, & quattuor ex rebus om-
nia constare dicerent. Cum autem quaereretur res
admodum difficilis, num quincta quaedam natura uide-
retur esse, ex qua ratio, & intelligentia oriretur; in quo
et de animis, cuius generis essent, quaereretur: Zeno id
dixit esse ignem: non nulla deinde aliter, sed ea pauca:
de maxima autem re, eodem modo, diuina mente, atque
natura mundum uniuersum, atque eius maximas par-
tes administrari. materiam uero rerum, & copiam apud
eos exsilem, apud illos uberrimam reperiemus.

EXPLANATIO

PRIOREM autem illi § non Stoici, quos priore loco nominauit, sed Peripatetici: non enim ordinem
uerborum, sed ortum philosophorum, spectauit. Stoicis enim Peripatetici uetustiores. **DICEN-
DI copiam** § Superuacaneum hoc uidetur, cum dixerit, Quod aut igitur, Quod mendosum: aut Dicen-
di copiam, abundat, additum fortasse, ut explanaretur Quod. Haec Paullus pater. Mihi impressa lectio
non displicet: & eam ferri posse puto, si, Quod, pro Quia, accipiatur. **APUD eos** § hoc est Stoicos.
APUD illos § hoc est Peripateticos.

CICERO

QUAM multa ab his conquisita, & collecta sunt
de omnium animantium genere, ortu, membris,
aetatibus? quam multa de rebus ijs, quae gignuntur e
terra? quam multae, quamq. de rebus ijs, & causae
cur quidque fiat, & demonstrationes quemadmodum
quaeque fiant? qua ex omni copia, plurima, & certis-
sima

simā argumenta sumuntur ad cuiusque rei naturā explicandam. Ergo adhuc, quantum equidem intelligo, causa non uidetur fuisse mutandi nominis. non enim, si omnia non sequebatur, iccirco non erat ortus illinc. Equidem etiam Epicurum in physicis quidem Democritum puto. pauca mutat, uel plura sane. at, cum de plurimis eadem dicit, tum certe de maximis. quod item cum uestri faciant, non satis magnam tribuunt inuentoribus gratiam. Sed haec haec tenus. Nunc uideamus, quae de summo bono, quod continet philosophiam, et quid tandem attulerit, quamobrem ab inuentoribus, tamquam a parētib; dissentiret. Hoc igitur loco, quamquam a te, Cato, diligenter est explicatus finis hic bonorum, qui continet philosophiam, & qui a Stoicis, & quem admodum diceretur, tamen ego quoque exponā; ut perspiciamus, si potuerimus, quidnam a Zenone noui sit allatum. Cum enim superiores, e quibus planissime Polemo, secundum naturam uiuere, summum bonum esse dixissent; his uerbis significari Stoici tria dicunt; unum eiusmodi, uiuere adhibentem scientiam earum rerū, quae natura euenirent. hunc ipsum Zenonis aiunt

finem esse, declarantem illud, quod a te dictum est, conuenienter naturae uiuere. Alterum significare idem, ut diceretur, officia omnia media, aut pleraque seruantem uiuere. hoc sic expositum dissimile est superiori. illud enim rectum, quod xarē phōua dicebas, contingit sapienti soli: hoc autem inchoati cuiusdam officij est, non perfecti; quod cadere in nonnullos insipientes potest. Tertium autem, omnibus, aut maximis rebus ijs, quae secundum naturam sunt, fruētem uiuere. hoc non est positum in nostra actione: completur enim & ex eo genere uitae, quod uirtute fruitur; & ex ijs rebus, quae secundum naturam sunt, neque sunt in nostra potestate. sed hoc summum bonum, quod certa significatione intelligitur, eaq; uita, quae ex summo bono degitur, quia coniuncta ei uirtus est, in sapientem solum cadit: isq; finis honorum, ut ab ipsis Stoicis scriptum uidemus, a Xenocrate, atque ab Aristotele constitutus est. itaque ab his constitutio illa prima natura, a qua tu quoque ordiebare, his prope uerbis exponitur: Omnis natura uult esse conseruatrici suis; ut & salua sit, & in genere conseruetur suo.

EXPLANATIO

QUAM multa ab his 3 ab Aristotele in libris de animalibus, & a Theophrasto in libro de causis plantarum. ID CIRCO non erat ortus 3 Et si non omnino sequebatur Academicos, nomen tantē mutare non debuit. ab ijs enim ortus: cum audisset Polemonem. **EQ**UIDEM etiam Epicurum in physicis quidem Democritum puto. 3 Vel, Quendam, pro Quidem, placeret: uel ita distinguerem: Equidem etiam Epicurum, in physicis quidem, Democritum puto. Haec Paullus pater. **SIGNIFICARE** idem, ut diceretur, 3 Tolle hoc: parebit sententia. tollendum autem puto, cum in illa tria, quae significari Stoici dicebant, intueor; Vnum eiusmodi, uiuere adhibentem scientiam earum rerum, quae natura euenirēt; alterum, officia omnia media, aut pleraque seruantem uiuere; tertium, omnibus, aut maximis rebus ijs, quae secundum naturam sunt, fruētem uiuere. Quod si post, Alterum, addatur, Significare idem ut dicitur, fateor, me, quod dicatur, non assequi, & habiturum gratiam explananti. Haec Paullus pater.

CICERO

AD hanc rem aiunt artes quoque requisitas, quae naturam adiuuant: in quibus ea numeretur in primis, quae est uiuendi ars, ut tueatur quod a natura datum sit; quod desit, acquirat. Idemq; diuiserunt naturā hominis in animū, & corpus. cumq; eorum utrumque per se expetendum esse dixissent; uirtutes quoque utriusque eorum per se expetendas esse dicebant. cum animum quadam infinita laude anteponebant corpori; uirtutes quoque animi bonis corporis anteponebant. sed, cum sapientiam totius hominis custodem, & procuratricem esse uellent, quae esset naturae comes, & adiutrix: hoc sapientiae munus esse dicebant, ut eum tueretur, qui constaret ex animo, & corpore, in utroque iuuarerit eum, atque contineret. Atque ita, re primo simpliciter collocata, reliqua subtilius persequentes, corporis bona facilem quandam rationem habere censebant. De animi bonis accuratius exquirebant: in primisq; reperiēbant, in his inesse iustitiae semina: primiq; ex omnibus philosophis a natura tributum esse docuerunt, ut ijs, qui procreati essent, a procreatoribus amarentur; & id, quod temporum ordine antiquius est, ut coniugia uirorum, & uxorū natura coniuncta esse dicerent; quae ex stirpe orirentur amicitiae cognationum. Atque ab his initijs profecti, omnium uirtutum, & originem, &

progressionem persecuti sunt. ex quo magnitudo quoque animi exsistebat; qua facile posset repugnari, obfistiq; fortunae; quod maximae res essent in potestate sapientis. uarietates autem, iniuriasq; fortunae facile ueterum philosophorum praeceptis instituta uita superabat. Principijs autem a natura datis, amplitudines quaedam honorum excitabantur, parim profectae a contemplatione rerum occultiorum, quod erat insitus menti cognitionis amor; ex quo etiā rationis explicandi, differendiq; cupiditas conseruebatur; quodq; hoc solum animal natū est pudoris, ac uerecundiae particeps, appetensq; coniunctionum hominum, ac societati, animaduertensq; in omnibus rebus, quas ageret, aut diceret, ne quid ab eo fieret, nisi honeste, & decore: his initijs, ut ante dixi, tamquam seminibus, a natura datis, temperantia, modestia, & iustitia, & omnis honestas profectae absoluta est. Habes, inquam, Cato formam eorum, de quibus loquor, philosophorum. qua exposita, scire cupio, quae causa sit, cur Zeno ab hac antiqua institutione descruerit; quidnam horum ab eo non sit probatum; quod ne omnem naturam conseruatricem sui dixerit; an quod omne animal ipsum sibi commendatum, ut se & saluum in suo genere incoluēq; uellet; an, cū omnium artū suis is esset, quid natura maxime quae-

reret,

veret, idem statui debere de totius arte vitae; an quod, cum animo constaremus, & corpore, & haec ipsa, & eorum uirtutes per se esse sumendas. an uero displicuit ea, quae tributa est animi uirtutibus, tanta praestantia?

an quae de prudentia, de cognitione rerum, de coniunctione generis humani, quaeq. ab eisdem de temperantia, de modestia, de magnitudine animi, de omni honestate dicuntur?

EXPLANATIO

CUMQ. eorum utrumque per se expetendum esse dixissent; uirtutes quoque utriusque eorum per se expetendas esse dicebant. Erat in uulgatis libris, Cumq. eorum unumquodque: in scripto, pro Vnumquodque, Vtrumque: quod probaui: cum & de anima, & corpore fermo sit; & Sequatur, Virtutes quoque utriusque eorum. Haec Paullus pater.

CICERO

FATEBUNTUR Stoici, haec omnia dicta esse praecclare: neque enim eam causam Zenoni desciscendi fuisse, alia quaedam dicent, credo, magna antiquorum esse peccata, quae ille, ueri inuestigandi cupidus, nullo modo ferre potuerit. quid enim peruersius, quid intolerabilius, quid stultius, quam bonam ualitudinem, quam dolorum omnium uacuitatem, quam integritatem oculorum, reliquorumq. sensuum ponere in bonis potius, quam dicere, nihil omnino inter eas res, usq. contrarias interesse? ea enim omnia, quae illi bona dicerent praeposita esse, non bona: utemq. illa, quae in corpore excelleret, stulte antiquos dixisse per se esse expetenda; & sumenda potius, quam expetenda. eademq. de omni uita, quae in una uirtute consisteret, illam uitam, quae etiam ceteris rebus, quae essent secundum naturam, abundaret, magis expetendam non esse, sed magis sumendam: cumq. ipsa uirtus efficiat ita beatam uitam, ut beator esse non possit; tamen quaedam deesse sapientibus tum, cum sunt beatissimi: itaque eos id agere, ut a se dolores, morbos, debilitates repellant. O magnam ingenij, causamq. instam, cur noua existeret disciplina, perge porro. sequentur enim, quae tu scientissime com-

plexus es; omnem insipientiam, iniustitiam, alia uitia similia esse, omniaq. peccata esse paria, eosque, qui natura, doctrinaq. longe ad uirtutem processissent, nisi eam plene consecuti essent, summe esse miseros, neque inter eorum uitam, et improbilissimorum quidquam omnino interesse: ut Plato, tatus ille uir, si sapiens non fuerit, nihilo melius quam quibus improbilissimus, nec beatus uixerit. Haec uidelicet est correctio philosophiae ueteris, & emendatio, quae omnino aditum habere nullum potest in urbem, in forum, in curiam. quis enim ferre posset ita loquentem eum, qui se auctorem uitae grauius, & sapienter agendaeprofitetur, nomina rerum commutantem; cumq. idem sentiret, quod omnes, quibus rebus eadem uim tribueret, alia nomina imponentem, uerba modum mutantem, de opinionibus nihil detrahentem? Patronus ne causae, in epologo pro reo dicēs, negaret esse malum exsilium, publicationem bonorum? haec reuicenda esse, non fugienda? nec misericordem iudicem esse oportere? in concione autem si loqueretur; si Hannibal ad portas uenisset, murumq. iaculo traiecisset; negaret esse in malis, capi, uenire, interfici, patriam amittere?

EXPLANATIO

OMNIA, quae illi & Peripatetici. NOMINA rerum commutantem & Suspicor glossema fuisse ad illud, Ita loquentem. Haec Paullus pater.

CICERO

AN, senatus cum triumphum Africano decerneret; quid de eius uirtute, aut felicitate posset dicere, si neque uirtus in ullo, nisi sapiente, nec felicitas uere dici potest? Quae est igitur ista philosophia, quae communi more in foro loquitur, in libello, suo praesertim cum, quod illi uerbis suis significant, in eo nihil moueatur, de ipsis rebus nihil mouetur, eadem res maneant alio modo, quid enim interest, diuitias, opes, ualitudinem bona dicas, an ne praeposita; cum ille, qui ista bona dicit, nihil plus his tribuat, quam tu, qui eadem illa praeposita nominas? itaq. homo in primis ingenuus, & grauis, dignus illa familiaritate Scipionis, & Laelii, Panætius, cum ad Q. Tuberonem de dolore patiendoscriberet, quod esse caput debebat, si probari posset, numquam posuit, non esse malum dolorē; sed quid esset, & quale, quantumq. in eo inesset alieni; deinde, quae ratio esset perferendi, cuius quidem, quoniam Stoicus fuit, sententia condemnata mihi uideretur esse immanitas ista uerborum.

Sed, ut propius ad ea, Cato, accedam, quae a te dicta sunt, pressius agamus; eaq., quae modo dixisti, cum his conferamus, quae tuis antepono. Quae sunt igitur communia uobis cum antiquis, his sic utamur, quasi concessisti quae in controuersiam ueniunt, de his, si placet, disseramus. Mibi uero, inquit, placet agi subtilius, & ut ipse dixisti, pressius. quae enim adhuc protulisti, popularia sunt: ego autem a te elegantiora desidero. A me tu, inquam? sed tamen enitar, & si minus mihi multa occurrent, non fugiam ista popularia. Sed primum positum sit, nosmet ipsos commendatos esse nobis, primamq. ex natura hanc habere appetitionem, ut conseruemus nosmet ipsos. hoc conuenit: sequitur illud, ut animaduertamus, qui sumus ipsi; ut nos, quales oportet esse, seruemus. sumus igitur homines: ex animo conseruamus, & corpore: quae sunt cuiusdam modi: nosq. oportet, ut prima appetitio naturalis postulat, haec diligere, constituerq. ex his finem illum summi boni, atque ultimi. quem, si

N prima

prima uera sint, ita constitui necesse est; earum rerum, quae sunt secundum naturam, quamplurima, & quam maxima adipisci. hanc igitur sine illi tenuerunt: quodq.

ego pluribus uerbis, illi breuius, secundum naturam uiuere, hoc his bonorum uidetur extremum.

EXPLANATIO

DE ipsis rebus nihil mutetur, & Et hoc mihi suspectum est, ut antecedentium uerborum interpretatio. Haec Paullus pater. ALIO modo. & alludit ad formulas, siue actiones iurifconsultorum: unde in epist. De eadem re alio modo. Et lib. v. de Fin. Quae cum Zeno didicisset a nostris, ut in actionibus praescribi solet, de re eadem fecit alio modo.

CICERO

AGg nunc isti doceant, uel tu potius, (quis enim ista melius?) quonam modo, ab ipsidem principijs profecti, efficiatis, ut honeste uiuere, (id est enim uel ex uirtute, uel naturae congruenter uiuere) summum bonum sit; & quonam modo, aut quo loco corpus subito deserueritis; omniaq. ea, quae, cum secundum naturam sint, ab sint a nostra potestate; ipsum denique officium. quaero igitur, quo modo hae tantae commendationes, a natura profectae, subito a sapientia relictae sint. quod si non hominis summum bonum quaereremus, sed cuiusdam animantis; is autem esset nihil, nisi animus: (licet enim fingere aliquid eiusmodi, quo uerum facilius reperiamus) tamen illi animo non esset hic uelster finis. desideraret enim ualitudinem, uacuitatem doloris: appeteret etiam conseruationem sui, earumq. rerum custodiam: finemq. sibi constitueret, secundum naturam uiuere: quod est, ut dixi, habere ea, quae secundum naturam sunt, uel omnia, uel plurima, & maxima, cuiusquamque enim modi animal constitueris; necesse est, etiam si id sine corpore sit ut fingimus, tamen esse in animo quaedam similia eorum, quae sint in corpore: ut nullo modo, nisi ut exposui, constitui possit finis bonorum. Chrysippus autem, exponens differentias animantium, ait alias earum corpore excellere, alias autem anime, non nullas ualere utraque re: deinde disputat, quod cuiusque generis animantis statui deceat extre-

um. cum autem hominem in eo genere posuisset, ut ei tribueret animi excellentiam: summum bonum id constituit, non ut excelleret animo, sed uti nihil esse, praeter animum, uideretur. uno autem modo in uirtute sola summum bonum recte poneretur, si quod esset animal, quod totum ex mente constaret, id ipsum tamen sic, ut ea mens nihil haberet in se, quod esset secundum naturam; ut ualitudo est. sed id, ne cogitari quidem potest, quale sit, ut non repugnet ipsum sibi. Sin dicis obscurari quaedam, nec apparere, quia ualde parua sint; nos quoque concedimus, quod dicit Epicurus de uoluptate, quae minimae sint uoluptates, eas obscurari saepe, & obrui: sed non sunt in eo genere tantae commoditates corporis, tamq. productae temporibus, tamq. multae. itaque, in quibus propter eorum exiguitatem obscuratio. consequitur; saepe accidit, ut nihil interesse nostra fateamur, sint illa, nec ne sint: ut in sole, quod a te dicebatur, lucernam adhibere nihil interest, aut teruncium addere Croesi pecuniae. quibus autem in rebus obscuratio tanta non sit, fieri tamen potest, ut id ipsum, quod interest, non sit magnum: ut ei, qui incunde uixerit ante nos decessit, si aequae uita incunda mensura addatur, quia momentum aliquod habeat ad incundam accessionem, bonum sit: sin autem id non concedatur, non conuino uita beata tollitur.

EXPLANATIO

APPETERET etiam conseruationem sui, earumq. rerum custodiam: & Omnes hic libros uideo consentire: nec tamen abijcio susceptam semel opinionem, fortasse non improbandam. opinor autem, Suarumq. rerum custodiam, scripsisse Ciceronem: cum omnibus animantibus id a natura datum esse constet, ut se, ac sua tueantur. Haec Paullus pater.

CICERO

BONA autem corporis huic sunt, quod posterius potius, similia: habent enim accessionem dignam, in qua elaboretur. ut mihi in hoc Stoici iocari uideantur interdum, cum ita dicant; si ad illam uitam, quae cum uirtute degatur, ampulla, aut strigilis accedat, sumpturum sapientem eam uitam potius, quo haec adiecta sint, nec beatiore tamen ob eam causam fore. Hoc simile tandem est non risu potius, quam oratione, eijciendum? ampulla enim sit, nec ne sit, quis non iure optimo irrideatur, si laboret? at uero grauitate membrorum, & cru-

ciatu dolorum si quis quem leuet, magnam ineat gratiam. nec, si ille sapiens ad torioris equuleum atyranno ire cogatur, similem habeat uultum, ac si ampullam perdidisset: sed, ut magnum & difficile certamen iniens, cum sibi cum capitali aduersario dolore depugnandum uideret, excitaret omnes rationes fortitudinis, ac patientiae: quarum praesidio iniret illud difficile, ut dixi, magnumque proelium. Deinde non quaerimus, quid obscuretur, aut intereat, quia sit admodum paruum: sed quid tale sit, ut expleat summum

num. una voluptas e multis obscuratur in illa uita uoluptaria: sed tamen ea, quāuis parua sit, pars est eius uitae, quae posita est in uoluptate. nummus in Croesi diuitijs obscuratur: pars est tamen diuitiarum. quare obscurantur etiam haec, quae secundum naturam esse dicimus, in uita beata: sint modo partes beatæ uitae. atqui, si, ut conuenire debet inter nos, est quaedam appetitio naturalis, ea, quae secundum naturam sunt, appetens: eorum omnium est aliqua summa facienda. quo constituto, tum licebit otiose ista quaerere, de magnitudine rerum, de excellentia, quāta in quoque sit ad beate uiuendum; de istis ipsis obscurationibus, quae propter exitum uitae uix, aut ne uix quidem appareant. Quid, de quo nulla dissensio est? nemo enim est, qui aliter dixerit, quin omnium naturarum simile esset id, ad quod omnia referuntur: quod est ultimum rerum appe-

tendarum. omnis enim est natura diligens sui. quae est enim, quae se unquam deserat, aut partem aliquam sui, aut eius partis habitum, aut uim, aut ullius earum rerum, quae secundum naturam sint, aut motum, aut statum? quae autem natura suae primae institutionis oblita est? nulla profecto, quin suam uim retineat a primo ad extremum. Quo modo igitur euenit, ut hominis natura sola esset; quae hominem relinqueret; quae obliuisceretur corporis; quae summum bonum non in toto homine, sed in parte hominis poneret? Quo modo autem, quod ipsi etiam fatentur, constatq. inter omnes, conseruabitur, ut simile sit omnium naturarum illud ultimum, de quo quaeritur? tum enim esset simile, si in ceteris quoque naturis id cuique esset ultimum, quod in quaque excelleret. tale enim uisum esset ultimum Stoicorum.

EXPLANATIO

QUID de quo nulla dissensio est? nemo enim est, qui aliter dixerit, Mendose in uulgatis libris, Multa dissensio. quo in loco cum haerere, commotus proxime sequentibus uerbis, quae nullam potius, quam multam dissensionem significabant; inspexi ueterem Philippi Tertij librum; uidi scriptum plantissime, Nulla dissensio: idq. Caroli etiam Sigonij, eruditissimi hominis, & de litteris optime meriti liber confirmat. Haec Paullus pater. Ut simile sit omnium naturarum illud ultimum, de quo quaeritur? Paulo ante dixit, Nemo est, qui aliter dixerit, quin omnium naturarum simile esset id, ad quod omnia referuntur. Est autem praecleara in primis ratio emendandi, cum similia similibus conferuntur: quod nos saepe fecimus: & hic Naturarum, pro Naturale, reponere non dubitauimus, accedente ad nostram coniecturam uetere libro Caroli Sigonij. Haec Paullus pater.

CICERO

QUID dubitas igitur mutare principia naturae? quid enim dicis, omne animal, simul atque sit oritur, applicatum esse ad se diligendum, esseq. in se conseruando occupatum? quin potius ita dicis, omne animal applicatum esse ad id, quod in eo sit optimum, & in eius uim occupatum esse custodia, reliquasq. naturas nihil aliud agere, nisi ut id conseruent, quod in quaque optimum sit? quo modo autem optimum, si bonum praeterea nullum est? si autem reliqua appetenda sunt: cur, quod est ultimum rerum appetendarum, id non aut ex omnium earum, aut ex plurimarū, & maximarum appetitione concluditur? ut Phidas potest a principio instituire signum, idq. perficere: potest ab alio inchoatum accipere, & absoluere. huic est sapientia similis. non enim ipsa genuit hominem, sed accepit a natura inchoatum. hanc igitur intuens, debet institutum illud quasi si gnum absoluere. qualem igitur natura hominē inchoauit? ecquod est munus, quod opus sapientiae? quid est,

quod ab ea absolui, & perfici debeat? si nihil in eo quidem perficiendum est, praeter motum ingenij quendam, id est rationem: necesse est huic ultimum esse, ex uirtute uitam fingere. rationis enim perfectio est uirtus. si nihil, nisi corpus: summa erunt illa, ualetudo, uacuitas doloris, pulchritudo, & cetera. nunc de hominis summo bono quaeritur. quid ergo dubitamus, in tota eius natura, quaerere, quid sit effectum? cum enim constet inter omnes, omne officium, munusq. sapientiae in hominis cultu esse occupatum: alij (ne me existimes contra Stoicos solum dicere) eas sententias afferunt, ut summum bonum in eo genere ponant, quod sit extra nostrā potestatem; tamquam de animali aliquo loquantur: alij contra, quasi nullum corpus sit hominis, ita praeter animum nihil curant; cum praesertim ipse quoque animus non inane nescio quid sit, (neque enim id possum intelligere) sed in quodā genere corporis; ut ne is quidem uirtute una contentus sit, sed appetat uacuitatē doloris.

EXPLANATIO

PHIDAS? fuit Atheniensis itatuarius insignis. Floruit olympiade 83. uide Plinium lib. lib. 34. Naturalis historiae. Sed accepit a natura inchoatum. Aristoteles Politicorum lib. 1. cap. 7. ὁππερ γὰρ καὶ ἀνθρώπου οὐ ποιεῖ ἡ πολιτικὴ, ἀλλὰ λαβοῦσα παρὰ τῆς φύσεως, χρῆται αὐτοῖς

CICERO

QVAMOBREM utiq. idem faciunt, ut si lacuā partē negligere, dexterā tuerentur; aut ipsius animi, ut fecit Herillus cognitionē amplexarentur, actionē relinquerent. eorū enim omnium, multa praetermittentū,



dum eligant aliquid, quod sequantur, quasi curta sententia: at uero illa perfecta, atque plena, eorum, qui cum de hominis summo bono quaerent, nullam in eo neque animi, neque corporis partem uacnam, tutela reliquerunt. Nos autem, Cato, quia uirtus, ut omnes fate-mur, altissimum locum in homine, & maxime excellen-tem tenet, & quod eos, qui sapientes sunt, absolutos, & perfectos putamus, aciem animorum nostrorum uir-tutis splendore perstringitis, in omni enim animante est summum aliquid, atque optimum, ut in equis, in canibus, quibus tamen & dolore uacare opus est, & uale-re sic igitur in homine per se edo ista, in eo potissimum quod est optimum, id est in uirtute, laudatur. itaque mihi non satis uidebatur considerare, quid intersit natu-rae quaeque progressio, non enim hoc, quod facit in fru-gibus, ut cum ad spicā perduxerit ab herba, relinquat, & pro nihilo habeat herbam, idem facit in homine, cum eum ad rationis habitum perduxerit. semper enim ita assumit aliquid, ut ea, quae prima dederit, ne deserat, itaque sensibus rationem adiunxit: & ratione effecta sensus non reliquit. ut si cultura uitium, cuius hoc mu-

nus est, ut efficiat, ut uitis cum partibus suis omnibus quamoptime se habeat: (sed sic intelligamus: licet enim, ut uos quoque soletis, fingere aliquid docendi caus-sa) si igitur illa cultura uitium in uite insit ipsa; cete-ra, credo, uelit, quae ad colendam uitem attribunt, si-cut antea; se autem omnibus uitis partibus praeferat, statuaque nihil esse melius in uita, quam se: similiter sen-sus, cum accessit ad naturam, tuetur illam quidem, sed etiam tuetur se: cum autem assumpta ratio est, tanto in dominatu locatur, ut omnia illa prima naturae huius tu-telae subijciantur, itaque non discedit ab eorum cura-tione, quibus praeposita uitam omnem debet gubernare. ut mirari satis eorum inconstantiam non possimus, naturalem enim appetitionem, quam uocant sensus, ite-m que officium, ipsam uirtutem, tuentem esse uolunt ea-rum rerū, quae secundum naturam sunt: cum autem ad summum bonum uolunt peruenire, transiliunt omnia, & duo nobis opera pro uno relinquunt; ut alia sumamus, alia appetamus, potius, quam uno fine utrumque concludant.

EXPLANATIO

QVAM uno fine utrumque concludant. } Quae antecedunt, hoc plane probant, eo magis, quod anti-quus liber habet, Verumque, non ut uulgatis, Omnia. Haec Paullus. pater.

CICERO

AT enim ueram dicitis uirtutem non posse consti-tui, si ea, quae extra uirtutem sunt, ad beate ui-uendum pertineant, quod totum contra est, introduci enim uirtus nullo modo potest, nisi omnia, quae leger, quaeque, rejiciet, unam referantur ad summam, nam si omnino nos negligimus; in Aristonea uita, & peccata incidemus; obliuiscimurque, quae uirtuti ipsi principia dederimus, sin ea non negligimus, neque tamen ad fi-nem summi boni referimus: non multum ab Herilli le-uitate aberrabimus, duarum enim uitarum, nobis erunt instituta capienda, facit enim ille duo seiuncta ultima bonorum: quae, ut essent uera, coniungi debuerunt: nunc ita separantur, ut disiuncta sint, quo nihil potest esse peruersius, itaque contra est, ac dicitis, nam consti-tui uirtus nullo modo potest, nisi ea, quae sunt prima naturae, ut ad summam pertinentia, tenebit, quae sita enim uirtus est, nō quae relinqueret naturam, sed quae tueretur, at illa, ut uobis placet, partem quandam tue-tur, reliquam deserit. Atque ipsa institutio hominis si loqueretur, haec diceret: primos suos quasi coeptus ap-petendi fuisse, ut se conseruaret in ea natura, in qua or-tus esset, non dum autem explanatum satis erat, quod maxime natura uellet, explanatur igitur, quid ergo aliud intelligetur, nisi ut aequa pars naturae negligi-

tur? in qua si nihil est praeter rationem; sit in una uir-tute finis bonorum, sin est etiam corpus: ista explana-tio naturae nempe hoc effecerit, ut ea, quae ante expli-cationem tenebamus, relinquamus, ergo id est conueni-entier naturae uiuere, a natura discedere, ut quidam philosophi, cum, a sensibus profecti, maiora quaedam, ac diuiniora uiderent, sensus reliquerunt: sic isti, cum ex appetitione rerū uirtutis pulchritudinem adspexis-sent, omnia, propter quae uirtutem ipsam uiderant, ab-iecerunt, obliui naturam omnem appetendarum rerum ita late patere, ut a principijs permaneret ad fines: ne-que intelligunt se rerum illarum pulchritudinem, atque admirabilem fundamenta subducere: itaque mihi uidentur omnes quidem illi errasse, qui finem bonorum esse dixerūt, honeste uiuere; sed alius alio magis: Pyrrho scilicet maxime, qui, uirtute constituta, nihil omnino quod appetendum sit, relinquat; deinde Aristo, qui ni-hil relinquere non est ausus; introduxit autem, quibus commotus sapiens appeteret aliquid, quod cuique in-mentem incidere, & quodcumque tamquam occurre-ret, is hoc melius, quam Pyrrho, quod uel aliquod ge-nus appetendi dedit; deterior, quam ceteri, quod peni-tus a natura recessit.

EXPLANATIO

AT enim ueram dicitis uirtutem non posse constitui, } Addidi, Veram, ne discederem a libris antiquis, Sigonij, & Tertij: quamquam non esse uerbum necessarium duxi: simplex enim Virtutis no-men saepe hic a Cicerone usurpatur: & paullo post, ubi confutat argumentum Stoicorum, Contra, inquit, est, ac dicitis, nam constitui uirtus nullo modo potest, nisi ea, quae sunt prima naturae, ut ad sum-mam

mam pertinentia, tenebit. Cur igitur, Veram, non reieci? quia uereor antiquitatem, & quia saepe ad inueniendam ueritatem quasi lumen aliquod praefert. quod hic fortasse contigit. nā, ne nihil occultem, puto Ciceronem scriptum reliquisse, At enim uero. Ut enim ab At, & Verum quae idem ualent, factum est, At enim, & Verum enim: cur non item ab iisdem, At enim uero, & Verum enim uero, deducantur? cum praefertim, Verum enim uero usitatum esse uideamus. Hoc porro placet eo magis, quia libri scripti non nulli habent, pro Veram, Non: quod a Vero, si contracte scribatur, longe non distat. Haec Paullus pater. *Ut aequa pars naturae negligatur?* Mendum subesse, manifestum est. quod si haec cum superioribus conferantur, sensus ostendet, ita legendum esse, Ut ne qua pars naturae negligatur. ita etiam in Maffei libro scriptum est. Haec Paullus pater. *SAPIENS appeteret aliquid, quod cuique in mentem incideret, & quodcumque tamquam occurreret.* Locus locum aperit, si diligenter legas. ego hic, uel contra ueteres libros, unius tantum litterae mutatione, legendum existimo, Quodcumque in mentem ueniret. melior omnino sententia: & idem paullo post memoratur his uerbis: Hoc igitur quaeritis omnes, & ij, qui, quodcumque in mentem ueniat, aut quodcumque occurrat, se sequi dicent. Sic postea comperi in antiquo Latini Latinij libro. Haec Paullus pater.

CICERO

STOICI autem, quod finem bonorum in una uirtute ponunt, similes sunt illorum: quod autem principium officij quaerunt, melius, quam Pyrrho: quod ea non occurrentia fingunt, uincunt Aristonem: quod autem ea, quae ad naturam accommodata, & per se assumenda esse dicunt, non adiungunt ad finem bonorum, desciunt a natura, & quodam modo sunt non dissimiles Aristonis. ille enim occurrentia nescio quae commincebatur: hi autem ponunt illi quidem prima naturae, sed ea sciungunt a finibus, & a summa bonorum. quae cum praeponunt, ut sit aliqua rerum selectio: naturam uidentur sequi: cum autem negant ea quidquam ad beatam uitam pertinere; rursum naturam relinquunt. Atque adhuc ea dixi, cur causa Zenoni non fuisset, quam obrem a superiorum auctoritate discederet: nunc reliqua uideamus. nisi aut ad haec, Cato, dicere aliquid uis, aut nos iam longiores sumus. Neutrū uero, inquit ille: nam & a te perfici istam disputationem uolo; nec tua mihi oratio longa uideri potest. Optime, inquam: quid enim mihi potest esse optatius, quam cum Catone, omnium uirtutum auctore, de uirtutibus disputare? sed primum illud uide, grauissimam illam ueteram sententiam, uiae familiam ducit, honestū quod sit, id esse solum bonū; honesteque uiuere, bono-

rum finem; communem fore uobis cum omnibus, qui in una uirtute constituunt finem bonorum. quodque dicitis, informari non posse uirtutem, si quidquam, nisi quod honestum sit, numeretur, idem dicitur ab illis, quos modo nominavi. mihi autem aequius uidebatur, Zenonem cum Polemone disceptantem, a quo, quae essent principia naturae, acceperat, a communibus initijs progredientem, uidere ubi primum insisteret, & unde causa controuersiae nasceretur; non, stantem cum ijs, qui ne dicerent quidem sua summa bona esse a natura profecta, ut iisdem argumentis, quibus illi uterentur, iisdemque sententijs. Minime uero illud probo, quod, cum docuisset, ut uobis uideremini, solum bonum esse, quod honestū sit, tum rursum dicitis, initia proponi necesse esse apta, & accommodata naturae, quorū ex selectione uirtus possit existere. non enim in selectione uirtus ponenda erat, ut id ipsum, quod erat bonorum ultimum, aliud aliquid acquireret. nam omnia, quae sumenda, quaeque legenda, aut optanda sunt, in se debent in summa bonorum; ut is, qui eam adeptus sit, nihil praeterea desideret. Vides ne, ut, quibus summa est in uoluptate, perspicuum sit, quid ijs faciendum sit, aut non faciendum? ut nemo dubitet, eorum omnia officia quo spectare, quid se qui, quid fugere debeant?

CICERO

SIT hoc ultimum bonorum, quod nunc a me defendi stur: apparet statim, quae sint officia, quae actiones, uobis autem, quibus nihil est aliud propositum, nisi rectum, atque honestum, unde officij, unde agendi principium nascatur, non reperietis. hoc igitur quaeritis omnes, & ij, qui, quodcumque in mentem ueniat, aut quodcumque occurrat, se sequi dicent: & uos ad naturam reuertemini. quibus natura iure responderit, non esse uerum, aliunde finem beate uiuendi, a se principia rei gerendae peti: esse enim unam rationem, qua & principia rerum agendarum, & ultima bonorum continerentur: atque, ut Aristonis esset explosa sententia, dicentis, nihil differre aliud ab alio, nec esse res ulla, praeter uirtutes, & uitia, inter quas quidquam omnino interesset; sic errare Zenonem, qui nulla in re, nisi in uirtute, aut uitio, propensionem ne minimi quidem

momenti ad summum bonum adipiscendum diceret: & cum ad beatam uitam nullum momentum ea res haberet, appetitionem autem rerum, esse in his momentis diceret. quasi uero haec appetitio non ad summi boni adeptionem pertineret. Quid autem minus consentaneum est, quam, quod aiunt, cognito summo bono, reuertere se ad naturam, ut ab ea petant agendi principium, id est officij? non enim actionis, aut officij ratio impellit ad ea, quae secundum naturam sunt, appetenda: sed ab his & appetitio, & actio commouetur. Nunc uenio ad illa tua breuia; quae Confectaria esse dicebas: & primum illud, quo nihil potest esse breuius: Bonū omne laudabile: laudabile autem omne honestum: igitur omne bonum honestū. O plumbeū pugionem, quis enim tibi illud primum concesserit? quo quidem concesso, nihil opus est secundo. si enim omne bonum laudabile est

om-

omne honestum est. quis tibi ergo istud dabit, praeter Pyrrhonem, Aristonem, eorum ue similes? quos tu non probas. Aristoteles uero, Xenocrates, tota illa familia non dabit, quippe qui ualitudinem, uires, diuitias, gloriam, multa alia bona esse dicant, laudabilia nō dicant. Et hi quidem ita non sola uirtute finem honorum contineri putant, ut rebus tamen omnibus uirtutem anteponant. quid censes eos esse facturos, qui omnino uirtutem a bonorum fine segregauerunt, Epicurum, Hieronymum, illos etiam, si qui Carneadem finem tueri uoluit?

Iam aut Callipho, aut Diodorus quo modo poterunt tibi istud concedere, qui ad honestatem aliud adiungant quod ex eodem genere non sit? Placet igitur tibi, Cato, cum res sumpseris non concessas, ex illis efficere quod uelis? iam ille sorites, quo nihil putatis esse uitiosus; quod bonum sit, id esse optabile, quod optabile; id esse expetendum; quod expetendum, laudabile: deinde reliqui gradus. sed ego in hoc resisto. eodem enim modo tibi nemo dabit, quod expetendum sit, id esse laudabile.

EXPLANATIO

ET uos ad naturam reuertimini. § Liber Tertij, Sed uos ad naturam reuertimini, quod placet. Sequitur enim paullo post: Quod autem minus consentaneum est, quam, quod aiunt, cognito summo bono, reuerti se ad naturam, ut ab ea petant agendi principium, id est officij? Haec Paullus pater.

CICERO

ILVD uero minime confectarium, sed in primis hebes, illorum scilicet nominum gloriatione dignam esse beatam uitam, quae non possit sine honestate contingere, ut iure quisquam gloriatur. dabit hoc Zenoni Polemon, etiam magister eius, et tota illa gens, et reliqui, qui uirtutem omnibus rebus multo anteposcentes, adiungunt ei tamen aliquid summo in bono finiendo. si enim uirtus digna est gloriatione, ut est; tantumque praestat ceteris rebus, ut dici uix possit: et beatus esse poterit uirtute una praeditus, carens ceteris; nec tamen illud tibi concedet, praeter uirtutem, nihil in bonis esse duendum. Illi autem, quibus summum bonum sine uirtute est, non dabunt fortasse, uitam beatam habere, in quo iure possit gloriari. etsi illi quidem etiam uoluptates faciunt interdum gloriosas. Vides igitur, te aut ea sumere, quae non concedantur; aut ea, quae etiam concessa te nihil adiuent. equidem in omnibus istis conclusionibus hoc putarem philosophia, nobisque dignum, et maxime, cum summum bonum quaeremus; uita nostra, consilia, uoluntates, non uerba, corrigi. quis enim potest, istis, quae te, ut ais, delectant, breuibus, et acutis, auditis de sententia decedere? Iam cum ea spectant, et auent audire, cur dolor malum non sit; dicunt illi aspe-

rum esse dolorem, molestum, odiosum, contra naturam, difficile toleratu; sed, quia nulla sit in dolore nec fraus, nec improbitas, nec malitia, nec culpa, nec turpitudine, non esse illud malum. Haec qui audierit, ut ridere non curet, discedet tamen nibilo firmior ad dolorem ferendum, quam uenerat. tu autem negas fortem esse quemquam posse, qui dolorem malum putet. cur fortior sit, illud, quod tute concedis, asperum, et uix ferendum putabit? ex rebus enim timiditas, non ex uocibus, nascitur. Et ais, si una littera commota sit, fore, tota ut labet disciplina. utrum igitur tibi litteram uideor, an totas paginas commouere? ut enim sit apud illos id, quod est a te laudatum, ordo rerum seruatus, et omnia inter se apta, et connexa; (sic enim aiebas) tamen persequi non debemus, si a falsis principijs profecta congruent ipsa sibi, et a proposito non aberrant. In prima igitur constitutione Zeno tuus a natura recessit: cumque summum bonum posuisset in ingenij praestantia, quam uirtutem uocamus; nec quidquam aliud bonum esse dixisset, nisi quod esset honestum, nec uirtutem posse consistere, si in ceteris rebus esset quidquam, quod aliud alio melius esset, aut peius; his propositis, tenuit profusus consequentia.

EXPLANATIO

UT iure quisdam gloriatur. § Sic omnino in duobus antiquis libris: opinor tamen, ut suppositiciū, inducendum esse. additum enim uidetur ad interpretationem antecedentium uerborum. quod eo magis existimo, quia responderi constat ad id, quod lib. II. dictum est, his uerbis: Ex quo efficitur, gloriatione, ut ita dicam, dignam esse beatam uitam: quod non possit quidem, nisi honestae uitae, iure contingere. ita fit, ut honesta uita beata sit. Is autem locus correctionem doctissimi uiri confirmat, M. Antonij Mureti, qui legendum putat, ex Nonio: Illud uero minime confectarium, sed in primis hebes illum, gloriatione dignam esse beatam uitam: quod non possit. &c. id quod Sigonij quoque liber comprobat, Haec Paullus pater. POLEMON, etiam magister eius, § magister Polemonis Theophrastus.

CICERO

RECTE dicit: neque enim non possum: sed ita falsa sunt ea, quae consequuntur; ut illa, e quibus haec nata sunt, uera esse non possunt. docent enim nos, ut scis, dialectici; si ea, quae rem aliquam consequan-

zur, falsa sint, falsam illam ipsam esse, quam sequantur. ita sit illa conclusio non solum uera, sed ita perspicua, ut dialectici ne rationem quidem reddi putent oportere: si illud, hoc: non autem hoc, igitur ne illud quidem sic, consequentibus uestris sublatis, prima tolluntur: quae sequuntur, igitur; omnes, qui non sunt sapientes, aequae miseros esse; sapientes omnes summe beatos esse; recte facta omnia aequalia, omnia peccata paria. quae cum magnifice primo dici uidentur, considerata minus probantur. sensus enim cuiusque, & natura rerum, atque ipsa ueritas clamabat quodam modo, non posse aduci, ut inter eas res, quas Zeno exaequaret, nihil inzereset. postea tuus ille Poenulus, (scis enim Citiaeos, clientes tuos, & Phoenicia profectos) homo igitur acutus, causam non obtinens, repugnante natura uerba uersare coepit: & primum rebus ijs, quas nos bonas dicimus, concessit, ut haberentur aptae, habiles, & ad naturam accommodatae: fateri coepit, sapienti, hoc est summo beato, commodius tamen esse, si ea quoque habeat, quae bona non audet appellare, naturae ipsi accommodata esse concedit: negatque Platonem, si sapiens non sit, eadem esse in causa, qua tyrannum Dionysium: huic

mori optimum esse, propter desperationem sapientiae; illi, propter spem, uiuere: peccata autem partim esse tolerabilia, partim nullo modo; propterea quod alia peccata plures, alia pauciores quasi numeros officij praeterirent: iam, insipientes alios ita esse, ut nullo modo ad sapientiam possent peruenire; alios, qui possent, si id gessissent, sapientiam consequi. Hic loquebatur aliter, atque omnes; sentiebat idem, quod ceteri. nec uero minoris aestimanda ducit ea, quae ipse bona negaret esse, quam illi, qui ea bona esse dicebant. Quid igitur uoluit sibi, qui illa mutauerit? saltem aliquid de pondere detraxisset, & paullo minoris aestimauisset ea, quam Peripatetici; ut sentire quoque aliud, non solum dicere, uideretur. Quid de ipsa beata uita, ad quam omnia referuntur, quae dicitis? negatis eam esse, quae expleta sit omnibus ijs rebus, quas natura desideret: tota quae in una uirtute ponitur. cumque omnis controversia aut de re soleat, aut de nomine esse: utraque earum nascitur, si aut res ignoratur, aut erratur in nomine, quorum si neutrum est; opera danda est, ut uerbis utamur quam uisitatissimis, & quam maxime aptis, id est rem declarantibus.

EXPLANATIO

POSTEA tuus ille Poenulus, & Citium parua urbs est in Cypro insula, ubi Zeno, Stoicae auctor disciplinae, natus est. Narrat hoc Strabo in lib. de Geographia xiv. & Diogenes Laertius in initio libri septimi. Graecam fuisse urbem dicit Laertius, quae tamen Phoenicas colonos aliquando habuerit. quae ob causam Crates Zenonis quodam tempore magister, eum reprehendens per iocum, Phoeniculum appellauit, quod sciam, primus omnium. Τὸ φούριον, refert in Zenone Diogenes, φοινικίδιον. οὐ δὲν δεινὸν κέρον θας. Ad hanc uidetur uocem Cicero respexisse, cum ait, Tuus ille Poenulus. Poeni enim, quin Graeci sint φοινικες, nihil est cur dubitemus. Dionysius enim initio primi Antiquitatum Romanarum bellum Punicum, siue Poenicum, ut est in libris Latinae linguae Varonis, φοινικῶν πόλεμον, saepius appellauit: Τὸς φοινικῶν κατὰ τὴν πολεμῶν. Et κατὰ τοὺς φοινικῶν ἀκμάσαντες πολεμῶν. Et, ἐπὶ τὴν ἀρχὴν τοῦ πρώτου φοινικῶν πολεμῶν. Tuus autem ille, quod dicit Cicero, significat Cypris patrocinium Catonem praestitisse, puto enim ex his praecipue uerbis, Ptolemaeo rege mortuo, cuius regnum, & regiam gazam sua lege P. Clodius publicauit, sibi Cyprios M. Catonem adoptasse. Haec ab Octauiano Ferrario. Scis enim Citiaeos, clientes tuos, & Phoenicia profectos & Laertius in Zenone auctor est, Citiaeos a Phoenicibus originem duxisse. quem ego secutus, emendauit, E Phoenicia, siue A Phoenicia; cum antea legeretur, A poetica, foedo errore, & manifesto. Appellat autem Poenulum Zenonem, quasi calidum, & astutum, ut sunt Poeni ferre omnes, qui a Phoenicibus nomen acceperunt. qua ratione, Poenulum Zenonem dixit Cicero, quod a Phoenicibus esset oriundus. Haec Paullus pater. Clientes tuos: quia Cato Cyprum insulam, populi Romani prouinciam fecerat: unde Cyprij Catonis clientes, more ueterum Romanorum, erant enim prouinciae in eorum clientela, quorum opera ad imperium populi Romani adiunctae fuerant. Si ad gessissent, & Suspicio de mendo. Tertij liber, Gessissent. usitatus erat, Egissent. Idem postea scriptum uidimus in Latini libro. Haec Paullus pater.

CICERO

NVM igitur dubium est, quin, si in re ipsa nihil peccatur a superioribus, uerbis illi commodius utantur & uideamus igitur sententias eorum: tum ad uerba redeamus. Dicunt appetitionem animi moueri, cum aliquid ei secundum naturam esse uideatur; omniaque, quae secundum naturam sunt, aestimatione aliqua digna; eaque pro eo, quantum in quoque sit ponderis, esse aestimanda: quaeque secundum naturam sint, partim nihil habere in sese eius appetitionis, de qua sae-

pe iam diximus, quae nec honesta, nec laudabilia dicantur; partim quae uoluptatem habeant in omni animante, sed in homine rationem etiam: ex eis quae sint apta, ea honesta, ea pulchra, ea laudabilia: (illa autem superiora, naturalia nominantur: quae coniuncta cum honestis, uitam beatam perficiunt, & absolunt) omnium autem eorum commodorum, quibus non illi plus tribuunt, qui illa bona esse dicunt, quam Zeno, qui negat, longe praestantissimum esse, quod honestum esset.

esset, atque laudabile: sed, si duo honesta proposita sint, alterum cum ualitudine, alterum cum morbo; non esse dubium, ad utrum eorum natura nos ipsa deductura sit: sed tamen tantam uim honestatis esse, tantumque eam rebus omnibus praestare, & excellere, ut nullis nec simplicibus, nec praemijs dimoueri possit ex eo, quod rectum esse decreuerit: omniaque, quae dura, difficilia, aduersa uideantur, ea uirtutibus istis, quibus a natura essemus ornati, obtineri posse; non faciles illas quidem, nec contemnendas, (quid enim esset in uirtute tantum?) sed ut hoc iudicarem, non esse in his partem maximam positam aut beate, aut secus uiuendi. Ad summam, ea, quae Zeno aestimanda, & sumenda, & apta naturae esse dixit, eadem illi bona appellant: uitam au-

tem beatam illi eam, quae constaret ex istis rebus, quas dixi, aut plurimis, aut grauissimis. Zeno autem, quod suam, quod propriam speciem habeat, cur appetendum sit, id solum bonum appellat; beatam autem uitam eam solum, quae cum uirtute degetur. Si de re disceptari oportet: nulla mihi tecum, Cato, potest esse dissensio: nihil est enim, de quo aliter tu sentias, atque ego; modo, commutatis uerbis, ipsas res conferamus. nec hoc ille non uidit; sed uerborum magnificentia est, & gloria delectatus. qui si ea, quae dicit, ita sentiret, ut uerba significant: quid inter eum, & uel Pyrrhonem, uel Aristonem interesset? sin autem eos non probabat: quid at tinuit cum istis, quibus eum re conueniebat, uerbis discrepare?

EXPLANATIO

NON faciles illas quidem, nec contemnendas, & Hoc, fortasse uident alij, quo referatur: mihi, homini non acuto, tenebras esse confiteor. Quod si legatur cum Sigonij libro, Non facilia illa quidem, nec contemnenda; nemo erit tam hebes, qui haec non cernat ab istis pendere, Quae dum, difficilia, aduersa uideantur. Haec Paullus pater. Ego ne sic quidem carere mendo locum arbitror. nam illud inferius, Sed ut hoc iudicarem, cum superioribus non cohaeret.

CICERO

QUID, si reuiscant Platonici illi, & deinceps qui eorum auditores fuerunt, & tecum ita loquantur? Nos, cum te, M. Cato, studiosissimum philosophiae, iustissimum uirum, optimum iudicem, religiosissimum testem audiremus, admirati sumus, quid esset, cur nobis Stoicos anteferes; qui de rebus bonis, & malis sentirent ea, quae ab hoc Polemone Zeno cognouerat; non in uerbis uterentur istis, quae prima specie admirationem, re explicata risum mouerent. tu autem, si tibi illa probabantur, cur non proprijs uerbis illa tenebas? sin auctoritas commouebat: nobis ne omnibus, & Platoni ipsi nescio quem illum anteponebas? praesertim cum in rep. princeps esse uelles, ad eamque tuendam cum summa tua dignitate maxime a nobis ornari, atque instrui posses. nobis enim ista quaesita, a nobis descripta, notata, praecepta sunt: nos omnium rerum, rectiones, genera, status, mutationes, leges etiam, & instituta, ac mores ciuitatum perscripsimus. eloquentiae uero, quae & principibus maxime ornamento est, & qua te audiui ualere plurimum, quantum tibi ex monumentis nostris addidisses? Ea cum dixissent, inquit, ut diceres pro me tu idem, qui illis orationem distulisses; uel potius paullulum loci mihi, ut his responderem, dares; nisi & te audire nunc mallet; & istis tamen alio tempore responsurus essem, tunc scilicet, cum tibi. Atqui, si uerum respondere uelles, Cato,

haec erant dicenda; non eos tibi non probatos, tantis ingenijs homines, tantaque auctoritate; sed te animaduertisse, quas res illi, propter antiquitatem, parum uiderent, eas a Stoicis esse perspectas; eisdemque de rebus hos tum acutius differuisse, tum sensisse, grauius, & fortius; quippe qui primum ualitudinem bonam expetendam negent, esse eligendam dicant; non quia sit bonum, ualere; sed quia sit non nihilo aestimandum, neque tamen plus, quam illis uideatur, qui illud non dubitant bonum dicere: hoc uero te ferre non potuisse, quod antiqui illi quasi barbari, ut nos de nostris solemus dicere, crediderint, eius, qui honeste uiueret, si idem etiam bene ualeret, bene audiret, copiosus esset, optabiliorem fore uitam, melioremque, & magis expetendam, quam illius, qui aequae uir bonus,

Multimodis esset, ut Ennij Alcmaco, circumuentus morbo, exsulio, atque inopia. Illi igitur antiqui, non tam acute, optabiliorem illam uitam putant, praestantiorum, beatiorem, Stoici autem tantummodo praeposendam in seligendo; non quo beator haec uita sit, sed quod ad naturam accommodatior; & qui sapientes non sunt, omnes aequae miseros esse. Stoici haec uide licet uiderunt: illos autem id fugerat superiores; qui arbitrabantur, homines sceleribus, & paricidijs inquinatos, nihilo miseros esse, quam eos, qui cum casto & integre uiuerent, non dum perfectam illam sapientiam essent consecuti.

EXPLA.

EXPLANATIO

TVNC scilicet, cum tibi. § Plane frigidum hoc, minimeq. necessarium: ut e glossemate in Cicero- nis orationem irrepsisse uideatur. Haec Paullus pater.

CICERO

ATQUE hoc loco similitudine eas, quibus illi uti solent, dissimillimas proferebas. quis enim ignorat, si plures ex alto emergere uelint, propius fore eos quidem ad respirandum, qui ad summam iam aquam appropinquant, sed nihilo magis respirare posse, quam eos, qui sunt in profundo? nihil ergo adiuuat procedere, & progredi in uirtute, quo minus miserrimus sit, ante quam ad eam peruenerit; quoniam in aqua nihil adiuuat, & quoniam catuli, qui iam despecturi sunt, caeci aequae, ut ij, qui modo nati: Platonem quoque necesse est, quoniam nondum uidebat, aequae caecum animo, ac Phalarim fuisse. Ista similia non sunt, Cato: in quibus quamuis multum processeris, tamen illud in eadem causa est, a quo abesse uelis, donec euaseris. nec enim ille respicit, ante quam emerit: & catuli aequae caeci, prius quam despexerunt, ac si ita futuri semper essent. Illa sunt similia. Hebes acies est cuiuspiam oculorum: cor pore alius languescit: hi, curatione adhibita, leuantur in dies: alter ualet plus quotidie, alter uidet. His similes sunt omnes, qui uirtuti student. leuantur uitij: leuantur erroribus. nisi forte censes Ti. Gracchum patrem non beatiorum fuisse, quam filium; cum alter stabilire uemp. studnerit, alter euertere. nec tamen ille erat sa-

piens: quis enim hoc? aut quando? aut ubi? aut unde? sed, quia studebat laudi, & dignitati, multum in uirtute processerat. Conferam autem auum tuum Drusum cum C. Graccho, eius fere aequali. quae hic reip. uulnera imponebat, eadem ille sanabat. Sed nihil est, quod tam miseros faciat, quam impietas, & scelus. ut iam omnes insipientes sint. miseri; quod profecto sunt: non est tamen neque miser, qui patriae consulit, & is, qui illam exstinctam cupit. Leuatio igitur uirtutum magna fit ijs, qui habent ad uirtutem progressionis aliquantum. ueluti autem progressionem ad uirtutem fieri aiunt, leuationem uirtutum fieri negant. at, quo utuntur homines acuti argumento ad probandum, operaepretium est considerare. Quarum, inquiunt, artium summa crescere potest, earum etiam contrarium summa poterit augeri. ad uirtutis autem summam accedere nihil potest. ne uitia quidem igitur crescere poterunt, quae sunt uirtutum contraria. utrum igitur tandem, perspicuis ne ne dubia aperiuntur, an dubijs perspicua tolluntur? at, qui hoc perspicuum est, uitia alia in alijs esse maiora: illud dubium, ad id, quod summum bonum dicitis, e quaenam fieri possit accessio.

EXPLANATIO

QVONIAM in aqua nihil adiuuat. § Et hoc quiddam olet glossematis persimile: quo genere bonos libros olim imperiti homines refererunt. Haec Paullus pater. **ALTER** ualet plus quotidie, alter uidet. § uerissima sententia. **AVVM** tuum Drusum § pater enim fuit & Drusi, qui tribunus pl. initio belli Italici occisus est, & Luliae, quae Catonem peperit. Plutarchus, & Appianus. **QVOD** profecto sunt: § Fuit, cum legendum crederem, Qui profecto sunt: postea, Quod, eodem modo usurpatum a Cicero comperi, ut ep. 40. ad Ancharium lib. x. Si ulla mea apud te commendatio ualuit; quod scio multas plurimum ualuisse: haec ut ualeat, rogo. Eodem modo locutus est ad Atticum epistola ultima libri x. & ad eundem ep. 4. lib. x. Caesar etiam lib. i. Comm. de bello ciu. Reperiebat, inquit, inquirendo, quod initium fugae proelii equestris aduersi a Dumnorige factum esset. Haec Paullus pater.

CICERO

VOS autem cum perspicuis dubia debeatis illustrare, dubijs perspicua conamini tollere. itaque eadem ratione, qua sum paullo ante usus, haerebitis. si enim propterea uitia alia alijs maiora non sunt, quia ne ad finem quidem bonorum eum, quem uos facitis, quidquam potest accedere: quoniam perspicuum est uitia non esse omnium paria, finis bonorum uobis mutandus est. teneamus enim illud necesse est; cum consequens aliquod falsum sit, illud, cuius id consequens sit, non posse esse uerum. Quae est igitur causa istarum angustiarum? gloriosa ostentatio in constituendo summo bono. cum enim, quod honestum sit, id solum bonum esse confirmatur: tollitur cura ualitudinis, diligentia rei familiaris, administratio reip. ordo gerendorum negotiorum, officia uitae; ipsum denique illud honestum, in quo uno

uultis esse omnia, deserendum est. quae diligentissime contra Aristonem dicuntur a Chryssippo. ex ea difficultate illae fallaciloquae, ut ait Attius, malitiae natae sunt. quid enim? sapientia, ubi pedem poneret, non habebat, sublatis officijs omnibus: officia autem tollebantur, delectu omni, & discrimine remoto. quae enim esse poterant, rebus omnibus sic exaequatis, ut inter eas nihil interesset? Ex his angustijs ista euaserunt, deteriora, quam Aristonis illa tamen simplicia, uestra uersuta. roges enim Aristonem, bona ne ei uideantur haec, uacuitas doloris, diuitiae, ualutudo? neget. quid, duae contrariae sunt his, mala ne? nihilo magis. Zenonem roges: respondeat totidem uerbis. admirantes quaeramus ab utroque, quoniam modo uitam agere possimus, si nihil interesse nostra putemus, ualeamus, aegri ne simus;

O

simus;

simus; uacemus, an cruciemur dolore; frigus, famem propulsare possimus, nec ne possimus. *Vines*, inquit *Aristo*, magnifice, atque praeclare: quod erit cumque uisum, age; numquam angere, numquam cupies; numquam timebis. Quid *Zeno*? portenta haec esse dicit, nec earum uero ullo modo posse uiui; sed differre inter honestum, & turpe nimium quantum, nescio quid immensum, inter ceteras res nihil omnino interesse. Idem adhuc, (audi reliqua, & risum contine, si potes) media illa, inquit, inter quae nihil interest, tamen eiusmodi sunt, ut eorum alia eligenda sint, alia reiicienda, alia omnino negligenda; hoc est, ut eorum alia uelis, alia nolis, alia non

cures. At modo dixeris, nihil in his rebus esse, quod interesset. & nunc idem dico, inquires; sed ad uirtutem, & ad uitia nihil interesse, quis istud, quae so, nesciebat? uerum audiamus. *Ista*, inquit, quae dixisti, ualere, locupletem esse, non dolere, bona non dico, sed dicam Graece *ἄνεμα*, Latine autem producta: sed praeposita, aut praecipua malo: sic tolerabilius, & mollius: illa autem, egestatem, morbum, dolorem, non appello mala, sed, si libet, reiectanea. itaque illa non dico me expetere, sed legere; nec optare, sed sumere; contraria autem non fugere, sed quasi secernere.

EXPLANATIO

QUID enim? sapientia, & Neque in uerbis uitium uideretur esse, neque in sententia: quiddam tamen ornatus elucebit, si totum contineres, & ita legas: Quod enim sapientia, ubi pedem poneret, non habebat, sublati officijs omnibus; officia autem omnia tollebantur, delectu omni, & discrimine remoto: (quae enim esse poterant rebus omnibus sic exaequatis, ut inter eas nihil interesset?) ex his angustijs, &c. Antiquus *Maffei* liber nobiscum facit, nisi quod coniunctionem illam, Enim, a nobis additam, non habet. Haec *Paullus pater*. DIFFERRE inter honestum, & turpe nimium quantum, nescio quid immensum, inter ceteras res nihil omnino interesse. & Nimium quantum, dixit, pro summum quiddam, quod expressit magis, cum intulit, Nescio quid immensum. Similiter locutus est *Sallustius* hist. lib. 2. Immane quantum animi exarsere. Et *Terentius Phorm.* act. i. v. sce. 3. CH. Cedo, quid postulat? GE. Quid? nimium quantum libuit. sic enim emendandum ex *Carisio* lib. 11. cum ante legeretur, Quid? nimium. quantum libuit. Et *Plinius* lib. xvi. cap. 36. Immensum quantum praelatis; pro, Quammaxime praelatis. Et lib. xix. cap. 28. Infinitum quantum illo tempore candentes pruinas congelat. Et *Agellius* lib. xvi. cap. 6. Nimium quantum, inquit, audacter. Et lib. xix. cap. 3. Lingua, atque facundia nimium quanto praestabilis. *Ammianus* quoque *Marcellinus* lib. xxix. Infula *Pharos* *Rhodiorum* erat obnoxia uectigali, quod cum inde quidam, nimium quantum peturi, uenissent, femina callida, &c. *Quinct.* lib. i. v. cap. 21. Pecunia, quae nimium quam in animis hominum potest. In uulgatis autem libris haec quattuor uerba, Nimium, quantum, nescio quid, immensum, imperite distincta, sententiam obscurabant. Haec *Paullus pater*.

CICERO

QUID ait *Aristoteles*, reliquiq. *Platonis* alumni? se omnia, quae secundum naturam sint, bona appellare, quae autem contra, mala. Vides ne igitur *Zenonem* tuum cum *Aristone* uerbis consentire, re dissidere? cum *Aristotele*, & illis re consentire, uerbis discrepare? cur igitur, cum de re conueniat, non malimus uisitate loqui? aut doceat, paratiorem me ad contemnendam pecuniam fore, si illam in rebus praepositis, quam si in bonis duxero; fortior emq. in patiendo dolore, si eum asperum, & difficilem perpepsi, & contra naturam esse, quam si malum dixerem. Facete *M. Piso*, familiaris noster, & alia multa, et hoc loco *Stoicos* irridebat. quid enim, aiebat, bonum negas esse diuitias, praepositum esse dicis? quid adiuuas? auaritiam ne minus? quod si uerbum sequimur; primum, longius uerbum praepositum, quam bonum. nihil ad rem. ne sit sane: at certe grauius. nam, bonum ex quo appellatum sit, nescio; praepositum ex eo credo, quod praepositum alijs. id mihi magnum uidetur. Itaque dicebat plus tribui diuitijs a

Zenone, qui eas in praepositis poneret, quam ab *Aristotele*, qui bonum esse diuitias fateretur, sed nec magni bonum, & praerectis honestisq. contemnendum, ac despicendum, nec magnopere expetendum. Omninoque de omnibus istis uerbis e *Zenone* mutatis ita disputabat; & quae bona negarentur esse ab eo, & quae mala, illa laetioribus nominibus ab eo appellari, quam a nobis, hanc tristioribus. *Piso* igitur hoc modo, uir optimus, tuiq. ut scis, amantissimus. nos, paucis ad haec additis, finem faciamus aliquando. longum est enim ad omnia respondere, quae a te dicta sunt. nam, ex eisdem uerborum praestigijs, & regna nata uobis sunt, & imperia, & diuitiae, & tantae quidem, ut omnia, quae ubique sint, sapientis esse dicatis, solū praeterea formosum solum liberum, solum ciuem: stultorum omnia contraria; quos etiam insanos esse uultis. haec *παρρησια* illi, nos admirabilia dicamus. quid autem habent admirationis, cum prope accesseris? conferam tecum, quam cuique uerbo rem subijcias: nulla erit controuersia.

EXPLANATIO

STULTORVM & Hanc uocem, quae antea desiderabatur, interieci, acceptam e libro *Maffei* scito, sententia comprobante. Haec *Paullus pater*.

CICERO

C I C E R O

OMNIA peccata paria dicitis. non ego tecum iam ita loquar, ut iisdem his de rebus, cum L. Murenam, te accusante, defenderem. apud imperitos tū illa dicta sunt: aliquid etiam coronae datum: nunc agendum est subtilius. Peccata paria, quonam modo? quia nec honesto quidquam honestius, nec turpi turpius, perge porro: nam de isto magna dissensio est. illa argumenta propria uideamus, cur omnia peccata sint paria. Vt, inquit, in fidibus plurimis, si nulla earum ita contenta numeris sit, ut concentum seruare possit, omnes aequae incontentae sint: sic peccata, quia discrepant, aequae discrepant: paria sunt igitur. Hic ambiguo ludimur. aequae enim contingit omnibus fidibus, ut incontentae sint: illud non continuo, ut aequae incontentae. collatio igitur ista te nihil iuuat. nec enim, omnes auaritias si aequae auaritias esse dixerimus: sequitur etiam, ut aequas esse dicamus. Ecce aliud simile dissimile. ut enim, inquit, gubernator aequae peccat, si palearum nauem

euerit, & si auri: item aequae peccat, qui parentem, & qui seruum iniuria uerberat. Haec non uidere, cuius generis onus nauis uehat, ad gubernatoris artem nihil pertinere: itaque, aurum paleam ue portet, ad bene; aut ad male gubernandum nihil interesse. at, quid inter parentem, & seruulum intersit, intelligi & potest, & debet. ergo in gubernando nihil, in officio plurimum interest, quo in genere peccetur: & si in ipsa gubernatione negligentia est nauis euersa, maius est peccatum in auro, quam in palea. omnibus enim artibus uolumus attributam esse eam, quae communis appellatur prudentia: quam omnes, qui cuique artificio praesunt, debent habere. Ita ne hoc modo paria quidem peccata sunt. Vrgent tamen, & nihil remittunt. Quoniam, inquit, omne peccatum imbecillitatis, & inconstantiae est: haec autem uitia in omnibus stultis aequae magna sunt: necesse est paria esse peccata.

C I C E R O

QUASI uero aut concedatur, in omnibus stultis aequae magna esse uitia, & eadem imbecillitate, & inconstantia L. Tubulum fuisse, qua illum, cuius as condemnatus est rogatione, P. Scaeuolam: & quasi nihil intersit; ut, quo haec maiores, minores ue sint, ea, quae peccentur in his rebus, aut maiora sint, aut iniora. itaque (iam concludatur oratio) hoc uno uitio maxime mihi premi uidentur tui Stoici, quod se posse putant duas contrarias sententias obtinere. quid enim est tam repugnans, quam eundem dicere, quod honestum sit, solum id bonum esse, qui dicat appetitionem rerum ad uiuendum accommodatarum a natura profectum? ita, cum ea uolunt retinere, quae superiori sententiae conueniunt, in Aristonem incidunt: cum id fugiunt, re eadem defendunt, quae Peripatetici, uerba tenent mordicus, quae rursus dum sibi euelli ex ore nolunt, horridiores euadunt, asperiores, & duriores & oratio-

ne, & moribus. quam illorum tristitiam, atque asperitatem fugiens Panaetius, nec acerbitatem sententiarum, nec diserendi spinas probauit; fuitque in altero genere mitior, in altero illustrior; semperque habuit in ore Platonem, Aristotelem, Xenocratem, Theophrastum, Dicaearchum, ut ipsius scripta declarant: quos quidem tibi studiose, & diligenter tractandos, magno opere censeo. Sed quoniam aduersperascit; & mihi ad nullam reuertendum est: nunc quidem haecenus; uerum hoc idem saepe faciamus. Nos uero, inquit ille, nam, quid possumus facere melius? & hanc quidem primam exigam a te operam, ut audias me, quae a te dicta sunt, resellentem. sed memento, te, quae nos sentiamus, omnia probare, nisi quod uerbis aliter utamur; mihi autem uestrorum nihil probari. Scrupulum, inquam, abeunti: sed uidebimus. Quae cum essent dicta, discussimus.



IN
M . TVLLII . CICERONIS
DE . FINIBVS
BONORVM . ET . MALORVM
LIBRVM . V.

Commentarius Aldi Mannuccij .



CICERO



VM audiuissem Antiochum ,
Brute , ut solebat , cum M. Pi-
sone disputantem in eo gymna-
sio , quod Ptolemaeum uocatur ;
unaque nobiscum Q. frater ,
& T. Pomponius , & L. Cice-
ro , frater noster cognatione
patrueelis , amore germanus ;
constituimus inter nos , ut ambulationem postmeridia-
nam conficeremus in Academia , maxime quod is lo-
cus ab omni turba id temporis uacuus esset . itaque ad
tempus , ad Pisonem omnes inde uario sermone , sex il-
la a Dipyllo studia consecimus . cum autem uenisset in
Academiam , non sine causa nobilitata spatia ; soli-
tudo erat ea , quam uoluimus . Tum Piso , Natura ne
nobis hoc , inquit , datum dicam , an errore quodam , ut
cum ea loca uideamus , in quibus memoria dignos uiros
acceperimus multum esse uersatos , magis moueamur ,
quam si quando eorum ipsorum aut facta audiamus ,
aut scriptum aliquid legamus ? uelut ego nunc moueor .
uenit enim mihi Platonis in mentem : quem accepimus
primum hic disputare solitum : cuius etiam illi hortuli
propinqui non memoriam solum mihi asserunt , sed ip-

sum uidentur in conspectu meo hic ponere . hic Speusip-
pus , hic Xenocrates , hic eius auditor Polemo : cuius ip-
sa illa sessio fuit , quam uidemus . equidem etiam curiam
nostram , Hostilianam dico , non hanc nouam , quae mihi
minor esse uidetur , postea quam est maior , solebam , in-
tuens , Scipionem , Catonem , Laelium , nostrum uero in
primis auum cogitare . tanta uis admonitionis inest in
locis : ut non sine causa ex his memoriae ducta sit disci-
plina . Tum Quintus , Est plane , Piso , ut dicis , inquit ,
nam me ipsum , huc modo uenientem , conuertebat ad
se Colonens ille locus , cuius incola Sophocles ob oculo-
s uersabatur : quem , scis , quam admirer , quamq. eo
delecter . me quidem ad altiorum memoriam Oedipodis
huc uenientis , & illo mollissimo carmine , quae nam ef-
sent ipsa haec loca , requirentis , species quaedam com-
mouit , inanis scilicet , sed commouit tamen . Tum Pom-
ponius : At ego , quem uos , ut deditum Epicuro , insectari
soletis , sum multum equidem cum Phaedro , quem uni-
ce diligo , ut scitis , in Epicuri hortis , quos modo praeter-
ibamus : sed , ueteris prouerbij admonitu , uinorum me-
mini . nectamen Epicuri licet obliuisci , si cupiam ; cuius
imaginem non modo in tabulis nostri familiares , sed
etiam in poculis , & in anellis habent .

EXPLANATIO



PTOLEMAEIVM } locus est Athenarum , ut refert Pausanias , a Ptolemaeo conditum sic
dictum . ET L. Cicero } cuius mortem uide ad Att. lib. I. epist. 4 . SEX illa a Dipyllo studia }
Dipylum porta Atheniensis . COLONEVS ille locus } locus erat in litore , Neptuno eque-
stri , & Mineruae sacer , auctore Pausania . Sophocles , eo secessu delectatus , in eo tragoe-
diam fecit , quam Oedipum Coloneum appellauit . ET in anulis } Anellis , legit Nonius .

CICERO